

Ecclesia proponit : hereticus uero existimatus, se Spiritum sanctum ut Apostolum habere cum lumine distinguente credibilia, & eligit, quod sibi placet credendum & rejicit, quod sibi displicet. Unde non fundatur super confessione Petri, cuius auctoritas manet in successoribus illius, ut quod ipsi dixerint eandem habeat auctoritatem, ac si Petrus Christi Vicarius dixisset.

Ad quartum argumentum patet ex dictis. Fatemur enim libenter, quòd testimonium Ecclesie determinat potentialitatem luminis fidei quantum ad proponendas, & distinguendas res illas, quæ ad fidem pertinent. Et hoc probat quintum argumentum, quod est ex August. Imò uerò ipsemet August. lib. 1. conf. cap. 3. ait, se non credere sacris scripturis propter auctoritatem scribentis, sed quia Deus intus confirmat, quòd illi uerum dicant. Idem idcirco libro de utilitate credendi ad Honoratum, & in lib. contra epist. Manich. cap. 4. Ad confirmationem ex D. Thom. responderetur, quòd illa determinatio secundum quòd manifestatur in sacris literis & doctrina Ecclesie accipienda est, quantum ad rationem proponendi, & distinguendi credibilia.

Ad ultimum ex testimonijs scripturæ responderetur, quòd partim probant primam conclusionem, partim tertiam conclusionem. Hactenus de primo articulo.

## ARTICVLVS II.

¶ Utrum obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis.

I. d. 41.  
in expli.  
lit. & 3.  
d. 24. art.  
1. q. 2. Et  
1. contra  
c. 7. Et ve  
rit. q. 14.  
art. 8. cò  
tra. & ad  
5. & 12.  
& art. 12.  
con.  
Ar. præc.



**A**d secundum sic proceditur. Videtur, quòd obiectum fidei non sit aliquid complexum per modum enuntiabilis. Obiectum enim fidei est ueritas prima sicut dictum est. Et prima ueritas est quid simplex, ergo obiectum fidei non est aliquid complexum.

¶ 2. Præterea, Expositio fidei in symbolo continetur, sed in symbolo non ponuntur enuntiabilia, sed res. Non enim dicitur ibi, quòd Deus sit omnipotens, sed Credo in Deum omnipotentem, ergo obiectum fidei non est enuntiabile, sed res.

¶ 3. Præterea, Fidei succedit uisio secundum illud 1. ad Corin. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Sed uisio patrie est de incompleto, cum sit ipsius diuina essentia; ergo etiam fides uisio.

Sed contra. Fides est media inter scientiam, & opinionem. Medium autem & extrema sunt eiusdem generis. Cum ergo scientia opinio sint circa enuntiabilia, uideatur, quòd similiter fides sit circa enuntiabilia, & ita obiectum fidei cum sit circa enuntiabilia, est aliquid complexum.

Respondeo dicendum, quòd cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis. Est autem modus proprius humani intellectus, ut componendo & diuidendo ueritatem cognoscat, sicut in primo dictum est, & ideo ea quæ sunt secundum se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexiōnem, sicut è conuerso intellectus diuinus incomplexè cognoscit ea, quæ sunt secundum se complexa. Sic ergo obiectum fidei dupliciter considerari potest. Vno modo ex parte ipsius rei credite, & sic obiectum fidei est aliquid incomplexum, scilicet, res ipsa de qua fides habetur. Alio modo ex parte credentis: & secundum hoc obiectum fidei est aliquid complexum per modum enuntiabilis. & ideo utrumque uerè opinatum fuit apud antiquos, & secundum aliquid utrumque est uerum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de obiecto fidei ex parte ipsius rei credite.

Ad secundum dicendum, quòd in symbolo tanguntur ea de quibus est fides, in quantum ad ea terminatur actus credentis, ut ex ipso modo loquendi apparet, actus autem credentis non terminatur ad enuntiabile, sed ad rem, non enim formamus enuntiabilia, nisi ut per ea de rebus cognitionem habeamus, sicut in scientia, ita & in fide.

Ad tertium dicendum, quòd uisio patrie erit ueritatis primæ secundum quòd in se est secundum illud 1. Ioan. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est, & ideo uisio illa erit non per modum enuntiabilis, sed per modum simplicis intelligentie. Sed per fidem non apprehendimus ueritatem primam sicut in se est, unde non est similis ratio.